



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia formaliter loquendo, non demonstrat propter quid; materialiter
constat principijs sufficientibus ad demonstrationem propter quid. cap. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

tias in particulari materia pertinere ad singulos scientificos, quasi præcisum iudicium de bonitate illationis habeatur ex vi singularum scientiarum, hoc. n. est falsum, ut dixi: sed quia singula in actu exercito suas conclusiones iudicando, ut deductas ex præmissis, feruntur etiam indirecte, atque implicite in veritatem consecutionis, vi cuius conclusio coniungitur principiis, in quæ ultimò reflectitur, ac resoluit conclusionis assensus.

Theologia formaliter loquendo non demonstrat propter quid; materialiter constat principiis sufficientibus ad demonstrationem propter quid.

CAPVT VIII

I.

AD veram scientiam propter quid duopotissimum requirunt, alterum, ut procedat per causam necessariam, alterum ut per principia prima, & immediata, siue resoluta ad prima, & immediata: prius supposuit Arist. li. 1. poster. c. 2. cum scire, inquit, est cognoscere causam, ob quam est illius causam esse, & fieri non posse, ut aliter se habeat. Secundum, cum li. 1. Topic. c. 1. demonstratione ait consistere primis, & veris, vel ijs, quæ per prima, & vera suæ cognitionis initium sumperunt. Ex horum defectu multipliciter fieri potest, ut propositio aliqua non sit demonstrabilis à priori. Primum quidem si sit propositio medio vacans, & per se nota, quia prædicatum immediate per se, absque interuentu alterius coniungitur subiecto: deinde si probari non possit per causam: tertio si habeat causam contingentem: quarto denique si licet re ipsa habeat causam necessariam, & per ipsam ostendat, non tamen sumit eam resolutam usque ad prima principia, & immediata, qua ratio scientiæ subalternatæ, quauis etiam per causam procedat auctore Arist. li. 1. post. c. 10. non sciunt, propter quod, quia non resoluunt usque ad prima. Longior huius rei declaratione vide apud Ballo. q. 5. plog. a. 2.

Aristot.

Aristot.

Ballo.

II.

Ocham.
Gabriel
Mayronius

Omnes verò huiusmodi causæ, vel saltim aliquæ intercedunt in Theologicis discursibus, ut proinde excludi debeant à ratione scientiæ propter quid. Ratione primæ Ochamus in plog. q. 1. annexæ primæ principali a. 3. post lit. 2. Gabriel q. 2. ar. 3. & Mayro. in i. d. 2. q. 2. ar. 2. existimant prædicata propria Dei, siue realia, atque intrinseca, siue connotatiua, ac negatiua non ostendi posse de illo, demonstratione propter quid. Quoad priorè partem ostendit Ochamus conclusione 1. & 2. quoniam omnis propositio demonstrabilis est dubitabilis, nulla autem, in qua prædicatur aliquid absolutum proprium, & intrinsecum

Deo est dubitabilis, ergo neque demonstrabilis. Assumptione ostendit, quoniam impossibile est, ut dubitetur de veritate eorum, quæ sunt idè realiter, & intelliguntur distinctè, siue intuitiue, siue abstractiue: nam illa propositio est maximè per se nota, in qua prædicatur idè realiter de eodè realiter. Secundo. Omne quod demonstratur de aliquo subiecto per prius, prædicatur de medio, per quod demonstratur: sed nihil realiter, idem cum Deo potest prædicare prius de aliquo, quàm de diuina essetia: nihil enim tale est nisi persona, vel relatio, de quibus non prædicatur proprietates absolutæ prius quàm de essetia. Si quis autem respondeat, quamuis eiusmodi propositiones non possint esse dubitabiles apprehendentes distinctè terminos, posse tamen concipienti illos confusi, & abstractiue. Obijcit, si diuina essetia cognoscatur, fieri non posse quin distinctè cognoscatur propter summam eius simplicitatem: etiam confusum aliquid ab ea distinctum, & de ea prædicabile non per se, sed per ipsam posset agnosci, iam non est eadem, sed alia propositio: & ita ea, in qua de ipsa diuina aliquid prædicatur, semper est per se nota; & idè concludit terminos significantes diuinam essetiam, & prædicatum aliquod eius absolutum, & essetiale non posse non distinctè cognosci, à quocumque intellectu cognoscatur: & consequenter propositionem ipsis constantem esse per se notam respectu cuiusvis intellectus, & idè non demonstrabilem. Potest addi argumentum ex Mayron. ubi supra; quoniam definitio est potissimum medium demonstrationis propter quid, Deus autem, ut potè ens simplicissimum, non habet definitionem. Quo argumento concludi putat D. Thom. lib. 5. contra gent. ca. 25. non posse quidquam demonstrari à priori de Deo, sed solum ab effectu. Quoad prædicata verò connotatiua, ac negatiua, idè præbat Ochamus conclusione quinta: quoniam inter huiusmodi prædicata, & Deum, non interuenit vllum medium, quo demonstratur. Si quis verò Respondeat demonstrari posse per definitionem eorundem, ut si fiat hic discursus, anne productiuum de nihilo est creatiuum: Deus productiuus creature, de nihilo: ergo habet creandi vim, arguit eiusmodi definitiones, quid nominis nihil ad demonstrationem conducere, quoniam semper supponi debet cognitio terminorum: & ita idem est dicere creatiuum ac productiuum de nihilo, & idè de definitionibus non inferuire demonstrationibus, & ijs adhibitis committi fallaciæ petitionis principij.

S. Thom.

III.

stra-

strationis propter quid, censet Aegid. in p-
logo secunda parte prime partis princ. q. 1.
art. 2. in corpore. Henric. in sum. ar. 7. q. 5.
Durand. q. 7. prologi, n. 12. & q. 18. n. 7. &
Abulen. q. 62. in cap. 23. Exodi: fundamē-
tum est, quoniam perfectiones diuine om-
nes conueniunt in ratione entis primi, &
actus puri; atque adeo sunt expertes causa-
litatis, ac dependentiæ passiuæ, quapropter
fieri nequit, vt per causam demonstrantur.
Præterea non datur inter eas ullus ordo
prioris, ac posterioris, qui necessariò sup-
ponit distinctionem aliquam actualem in
ijs, inter quæ reperitur, at verò inter perfe-
ctiones diuinas non cadit vlla distinctio ac-
tualis. Denique nulla suapte natura est
notior altera: at demonstratio propter quid
procedere debet ex notioribus, non solum
quoad nos, sed etiam natura, vt constat ex
definitione, ac declaratione demonstra-
tionis tradita à Philosopho, lib. 1. Post. cap.
2. Fieri ergò nequit, vt perfectiones diui-
næ de Deo demonstrantur à priori. Maior
propositio est manifesta, quoniam quem-
admodum in essendo nō est ordo inter il-
los, ita neque in cognoscendo: intelligibi-
litas enim sequitur entitatem: & quemad-
modum vnaquæque ipsarum conuenit in
ratione primi entis, ita etiam in ratione pri-
mi intelligibilis. Ratione tertiæ causæ, syl-
logismi omnes Theologici de contingentibus
excludi debent à ratione demonstra-
tionis propter quid: nam licet non præce-
dant per causam, nō tamen procedunt per
causam necessariam, & quæ non possit ali-
ter se habere: denique ratione quartæ, ne-
gat Durand. q. 1. prologi, n. 49. & Capreol.
q. 1. ar. 2. ad 6. Durand. contra secundam
conclusionem, Theologiam demonstrare
propter quid, quandoquidem Theologia
nostra non resoluit sua principia in prima
atque immediata.

IV. Si loquamur de vera ac propria ratione
demonstrationis propter quid, qualem Ari-
stot. definiuit, dico primum, in Theologia
nō est propriè demonstratio propter quid.
Hæc est de mente omnium, qui ad veram
rationem scientiæ requirunt euidenciam,
quos retuli cap. 6. & ad hunc sensum in-
terpretatur Ferrar. citat. lib. 1. contra gent.
c. 25. §. *Ad huius euidenciam.* dictum D. Tho-
mæ asserentis non posse demonstrari aliqd
à priori de Deo: nam idē ait nō posse ha-
beri demonstrationem de Deo perfecto
modo, quia nos habere non possumus ra-
tionem aliquam intellectus, quæ perfecte
explicet quidditatem Dei: quasi dicat, quā-
uis vna ratio cognita possit esse medium ad
demonstrandam aliam, quod paulò antè

concellerat: tamen quia nos nullam perfe-
ctè euidenter agnoscimus, non demonstra-
mus perfecto modo, hoc est notitiā à prio-
re, vltimò & euidenter resoluta. Suadetur
autem, quoniam in eiusmodi demonstra-
tionibus saltē desideratur vltima condi-
tio, sine qua vera demonstratio propter quid
esse nequit: etenim Theologia eodē lumi-
ne tenet sua principia, siue illa cōstent cau-
sa, siue effectū: neque perspicacius, aut eui-
dentius intelligit vna, quàm alia: nam quæ
articulus resurrectionis Christi, continet
causam resurrectionis nostræ, & si vterq;
articulus, nempe, *Christus resurrexit, & ho-
mines resurgent in nouissimo die*, cōsideretur,
prout est immediatè reuelatus & qua sube-
uidentia, vel potius ineuidētia, fidei assen-
sum terminabit. Fides enim in reuelatis nō
considerat rationem causæ vel effectus, sed
puram assertionis veritatem. Fundamentū
huius est, quoniam omnium credendorum,
siue illa priora, siue posteriora sint, est idē
prorsus motiuum, nempe reuelatio diui-
na, diuersitas verò assensuum pendet ex di-
uersitate motiuorum. Cū itaque princi-
pia omnia Theologica per se reuelata sint
omnia æquè nota, non poterit esse diuersi-
tas formalis demonstrationis propter quid,
& quia: nam inter has hoc differt, quod li-
cet vtræque procedat ex notioribus: illa
tamen ex notioribus naturā, hæc autem
ex notioribus sensu atque experientia: in
discursibus autem Theologicis, siue mate-
rialiter à priori, siue à posteriore proce-
dant, semper principia sunt eodem modo
notiora conclusionē, hoc est infallibilitate
immediatæ reuelationis. Imò hoc est
Theologiæ particulare, vt conclusiones
suas, antequam ex reuelatis probentur, as-
sumere nequeat tanquam principia notio-
ra quoad nos ad ostendenda reuelata, quæ
admodum aliæ scientiæ, maxime Philo-
sophia naturalis frequenter assumit prin-
cipia ex sensu, & experientia cognita abs-
que demonstratione à priori, ad osten-
denda principia suapte naturā notiora.
Ratio verò est, quoniam in scientijs na-
turalibus est duplex modus notionis; alter
à priori ex terminorum penetratione, al-
ter à posteriore ex sensu & experien-
tia: & quia omne notius alio sumptum
sub ea ratione notioris, est aptum gignere
notionem eius, idcirco scientiæ natu-
rales in diuerso genere demonstrationis,
ijsdē propositionib. modò vtūtur vt prin-
cipijs, modò vt conclusionibus. At Theo-
logia, quia per se non nititur propria eui-
dētia, sed infallibilitate reuelationis, sem-
per procedit à notioribus eodē modo: ne-

que sua principia per se ac proprie demonstrare potest, nisi forte sint alia reuelata, ex quibus possit fieri mutua demonstratio, ut re ipsa sunt, sed tunc quamuis forte quædam habeant rationem effectus, quædam causæ, syllogismi formaliter loquendo non sunt à priori, vel posteriore, quoniam utraque principia sumpta sub diuina reuelatione, sunt æquæ nota. Ex his patet rectè sentire Durand. & alios, qui negant Theologiæ rationem demonstrationis propter quid, formaliter loquendo. Sed restat videndum, an materialiter loquendo subsit aliqua ratio demonstrationis quia & propter quid, quod priores rationes dubitandi perstringunt.

V.

Henricus.
Socin.Scotus.
Bassol.
Toletan.

Dico secundum, de Deo fieri possunt à Theologo demonstrationes materiales à priori & propter quid. Ita docent. Henr. in sum. ar. 19. quæst. 1. ad 4. Paulus Socin. 4. Met. q. 17. Scotus q. 3. prologi, §. *Ad primum argumentum prima questionis* in responsione ad 3. & quodlib. 7. conclusionem primam, cum Scoti interpretibus ibidem. Bassol. quæst. 5. prologi, ar. 2. & 3. Toletan. quæst. 2. ar. 1. & q. 3. ar. 2. conclusionem 4. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem, & ad rationes principales. Ad huius probationem suppono probandum lib. 2. tractat: inter attributa diuina esse distinctionem aliquam virtuales, sub qua eademmet entitas diuina terminare potest plures conceptus non synonymos. Hoc posito ostendo assertionem: omnis propositio, vel perfectio, quæ secundum suam præcisam rationem formalem, quæ ab alijs distinguitur, præsupponit aliam, à qua virtualiter saltem distinguitur, & cum qua necessariò coheret, per eam à priori demonstrabilis est: ita verò se habent attributa diuina: ergò demonstrari de Deo possunt à priori. Maior propositio ostenditur, quoniam propositiones affirmantes duas proprietates cum subiecto, & inter se necessariò copulatas, possunt inseruire ad contexendum syllogismum, quo altera proprietas per alteram ostendatur de eodem subiecto; hoc dato, syllogismus ille materialiter consideratus est demonstratiuus, quoniam constat præmissis, & conclusione necessarijs: si verò ea, quæ supponitur ab alia, tanquam prior subeat vicem medijs, syllogismus necessariò erit à priori; ergò erit propter quid: assumptio ostenditur, quoniam attributa diuina, tametsi ex natura rei sint idem, distinguuntur tamen virtualiter, & possunt terminare plures conceptus non synonymos: & secundum rationem distinctionis virtua-

lis non sunt confusa, & absque ordine, sed alia prius, alia posterius nostro intelligendi modo conueniunt, consideramus enim immutabilitatem, ut priorem æternitatem, intellectum voluntatem, & sic in alijs: hæc verò omnia habere necessariam connexionem, perspicuum est propter identitatem in essentia, & immutabilitatem eiusdem. Itaque si Theologus utatur hoc syllogismo: omne ingenerabile & incorruptibile est æternum; Deus est ingenerabilis & incorruptibilis: ergò est æternus. Sanè cōficiet syllogismum procedentem materialiter à priori, & propter quid, quamuis quia si sit verè syllogismus Theologicus, præmissarum alteram credere debet ex fide; non procedat ex primis, & immediatis formaliter, hoc est euidenter agnitis.

Secundò probatur eadem conclusio ex VI. Scoto quodlib. 7. conclus. 1. syllogismus eiusmodi probat verum mediātū de subiecto per verum immediātum, ergò suapte natura est demonstratio propter quid: antecedens ostenditur, nam omne verum cōplexum, vel est mediātum vel immediātū, quando verò secunda vel tertia proprietas ordinationis prædicatur de subiecto, nō est verum immediātū, ut patet: quia inter illas, & substantiam est interposita prima: ergò mediātum, quod ostendi potest per verum immediātū, scilicet vel per naturā subiecti definitiue cognitā, vel saltem per primam passionem: hoc autem confirmat Scotus, quoniam qualis est ordo realis inter realiter distincta, talis est ordo cognoscibilitatis inter ipsa, qualitercūq; distincta secundum esse cognoscibile: sed si esset distinctio realis inter naturam, intellectū, voluntatem, & potentiam ad operandum, ideò verè ac realiter natura haberet talem potentiam ad operandum ad ex. quia polleret eiusmodi intellectu ac voluntate: ergò quamuis re ipsa non sit hic ordo realis, erit ordo cognoscibilitatis, ita ut idcirco Deus sit verè omnipotens, quia pollet infinito intellectu ac voluntate. Hoc eodem argumento vitur Tolet. ubi supra, & addit identitatem prædicati ad subiectum non tollere euidentiam & veritatem propositionis, sed augere: ita hoc secundum parum confert ad institutum: quoniam aduersarij nō negant eas propositiones esse demonstrabiles ob defectum veritatis, vel ineuidentiam, quandoquidem cōtendunt esse per se notas: sed ob defectum medijs termini, qui interiaceat inter prædicatum & subiectum, & coniungatur vtrique, priusquam illa inter se copulentur, tanquam causā coniunctionis ipsorum.

Sed

VII.

Sed quam propositiones de Deo admittunt demonstrationem propter quid? Ocham. ubi supra multiplice distinctione utitur, & quoad aliqua respondet iuxta suam sententiam iam recitaram. Breuiter tamen ad duas classes reduci possunt omnia, quæ de Deo prædicantur, alia enim sunt propria ipsi, alia communia cum creaturis. Et rursus quoduis horum diuidi potest in prædicata absolute positiua, & connotatiua, ac negatiua. Si verò loquamur de ijs, quæ Deo cum creaturis communia sunt, idem dicendum quod de creaturis: nam si de his demonstrari nequeunt, neque de Deo: si verò de his possunt, & de Deo poterunt: & patet ex eo, quod Metaphysica, quæ autore Philosopho 4. Met. considerat ens, in quantum ens, causas, & principia eiusdem, non minus agit de Deo, quam de creaturis. In particulari autem docet Ocham. conclusionem 3. prædicata communia essentialia non posse demonstrari: ratio est, quoniam hæc immediate coniunguntur inferioribus: & quia Deus est primum contentum sub ente, aut sub quouis alio prædicato essentiali communi sibi, & creaturis, non interuenit ullus medius terminus, aut ratio, qua demonstrari ea possint de Deo. Prædicata verò connotatiua conclusionem 4. admittit posse demonstrari per naturam entis, quæ est prima ratio communis, cui illa necessarii coherant, & idcirco per ea demonstrari possunt de quouis sub illa contento. Quæ duo vera sunt, nam si ens non demonstratur à priori de illa creatura, cui immediate conuenit, neque de Deo demonstrabitur: si passionem communes entis per primam eius passionem formalem demonstrantur de creaturis eam includentibus, multo magis de Deo demonstrari possunt. Alia duo circa propria Dei prædicata docet contraria positiua assertioni: existimat enim nihil proprium Deo, siue absolutum, siue connotatiuum esse demonstrabile à priori. Dicendum tamen aliter, sed prius animaduertendum est in Deo quædam prædicata significari per modum substantiæ, ut cum dicitur ens, substantia viuens, quædam per modum proprietatû, ut cum dicitur sapiens, iustus, &c. Rursus priora alia esse absoluta, alia respectiua. His positis dico prædicata absolute per modum substantiæ non esse simpliciter demonstrabilia. Ratio est, quia omnium eorum abstractum est vnica Deitas, ut concipitur simplex forma substantialis Dei, includens intrinsecè omnia quæ dicuntur de illo per modum substantiæ: atque adeo est prima ratio motiua sciendi cætera, quod sumi-

tur ex communi sententia doctorum constituentium Deitatem rationem formalem, quæ Theologiæ, quia per ipsam fit prima demonstratio de Deo. Hæc intelligenda sunt, si essentia diuina concipiatur suo modo definitiue distinctè cognitis, quasi gradibus substantialibus illi cum creatura intellectualem communibus: nam si aliter concipiatur, non repugnat; ut quemadmodum prædicata superiora demonstrantur propter quid de inferioribus per intermedia, ita de Deo ostendatur vita per rationis gradus intellectui: sed non est consuetum in scientijs demonstrare rationes intrinsecas subiecto, sed supponere. Prædicata verò relatiua demonstrari possunt per ipsam Deitatem, idcirco enim vendicat tres hypostases, quia talis natura est. Denique cætera omnia per modum proprietatis de Deo dicta demonstrari possunt per naturam, quæ est omnium radix: & ipsa inter se, saltem plurima, habent ordinem sufficientem ad demonstrationem. An verò sint aliqua quæ singula immediate radicentur in essentia non intermedijs alijs, sciunt qui vident, nos hæc latent, sicut & infinita alia.

Dico tertium, Theologia de contingentibus non habet veram rationem scientiæ propter quid, etiam materialiter. Ita expresse docent Aureol. q. 1. prologi, ar. 1. dum impugnat quartum dictum sententiæ sancti Thomæ. Bassol. art. 3. citat. §. Bassol. primo. Gregorius q. 1. art. 4. in probatione secundæ conclusionis, & Abulens. ubi supra. fundamentum est, quoniam obiectum aptum natum terminare scientiam propter quid, habere debet necessariam connexionem cum causa, ex cuius penetratione cognosci euidenter potest: id verò nulli effectui contingentis conuenit: nam ut ait D. Thomas 1. parte, quæst. 14. ar. 13. in causa indeterminata nequit certo, nedum euidenter agnoscitur effectus indeterminatus. Verumtamen quia sunt aliqua eiusmodi causæ, quæ licet non necessariò ponantur, positiue tamen habent quendam modum necessitatis in causando, saltem ex institutione ac directione diuina, non est negandum ex ijs consilari posse syllogismum, qui materialiter sit aliquo modo propter quid: exempli causa sacramentorum institutio, & vis productiua gratiæ non necessariò, sed liberè processit à Deo: modò tamen de lege semper habebunt effectum, si subiectum sit aptè dispositum: & idcirco ex applicatione veri sacramenti subiecto recipienti illud cum debita dispositione, potest à

priori

VIII.

Aureol.

Bassol.

Gregor.

Abulens.

S. Thomas.

à priori ostendi subiectum illud gratiam recepisse. Nec desunt pleraque alia exempla circa reuelata de rebus, & actionibus humanis: de quib. possunt suo modo fieri demonstrationes à priori ex prima intentione finis, quæ est prima ratio volendi, & exequendi media.

IX.

Argumenta Ochami tradunt difficultatem controuersam inter Theologos, vtrum propositiones constantes terminis diuinis sint per se notæ: de qua alibi erit occasio disputandi. Nunc respondeo eiusmodi propositiones constare posse terminis secundum virtutalem distinctionem, & propriam rationem formalem immediatis, vel mediatis: immediatis constaret ea, quæ primæ proprietatis enunciaretur de Deitate, quatenus essentia & forma substantialis Dei est: mediatis verò ea, quæ perfectio attributalis secundum suam rationem formalem supponens alia, predicaretur de essentia: & priores quidem sunt per se notæ, in se, nec demonstrabiles, posteriores autem secundum proprias rationes formales virtualiter distinctas, non sunt per se notæ nobis, sed per priores enunciantes de Deo attributales perfectiones, nostro intelligendi modo virtute priores. Ad primum neganda est assumptio: nam quauis videnti Deum huiusmodi propositiones non sint dubitabiles, possunt tamen esse ijs, qui non vident; ad eius autem confirmationem, respondeo dupliciter aliquid intelligi distinctè, nempe vel ut contraponitur cognitioni obscuræ & inevidenti, vel ut contraponitur cognitioni plurium per modum vnius; si priori modo intelligatur, verissimè est fieri non posse, ut quæ sunt idem realiter, distinctè cognoscantur, & non percipiatur eorum identitas: si verò posteriori, non est verum: non repugnat enim concipi duas rationes formales ut distinctas inter se, quin sciatur, vtrū conueniant in eandem realitatem, an verò differant, Philosophi enim concipiunt rationem animæ, intellectus, & voluntatis, ut distinctas, nec tamen proinde euidens illis est, an sit idem realiter, alioquin ea de re non esset vlla varietas opinionum, ut de facto est. Itaque ex notione simplici terminorum formaliter differentium, non necessariò est euidens conuenientia, vel differentia ipsorum penes identitatem: & propterea, si secundum rationes formales, non immediatè copulentur propositiones, quibus inuicem prædicantur, non erunt per se notæ, & immediatæ.

X.

Ad secundum formaliter loquendo neganda est assumptio: nam licet inter Dei-

tatem, & perfectiones eius attributales nihil reale intercedat, sunt tamen aliæ atque aliæ perfectiones virtute distinctæ, quæ secundum proprias rationes formales virtute distinctas, immediatius sibi, quàm essentia coherent. Etenim nostro intelligendi modo actualis intellectio immediatius progreditur ab essentia diuina, ut potentia vitalis, quàm ut forma substantialis est. Ea verò solutio, quam Ocham. fingit & impugnat, non inferuit ad omnia, namque non videtur repugnare, ut Deus communicet alicui viatori cognitionem aliquam distinctam vnius attributi secundum propriam rationem formalem, non manifestando simul rationes formales cæterorum, quæ ad illud cõsequuntur, quo posito, per primum ita cognitum, cætera demonstrari possent. Verum, quia illa solutio saltem, quoad aliquas propositiones inuenire potest, negandum est fieri non posse, ut ipsa diuina essentia cõfusa, hoc est, obscure cognoscatur: quamuis negandum non sit, si ipsa in se cognoscatur debere intelligi, ut distinctam ab alijs rebus: sed ex hac notitia non arguitur cognitio indicatiua euidens, & immediata omnium, quæ ipsi conueniunt; etenim ut benè respondet Scot. quodlib. 7. ad secundum post tertiam conclusionem, ens in communi ratione est cõceptus simplex: nec tamen proinde quæ necessariò de ipso enunciantur, etiam simplicia, constituunt propositiones per se notas: nam hæc, *Ens est verum*, ostendi potest per primam passionem, nempe per hoc principium, *Ens est vnum*. Eodem verò modo perfectiones attributales aliæ per alias resolui vltimò possunt in essentiam, & per eam ac intermedias de Deo demonstrari à priori. Ad argumentum Mayronij respondetur cum Ferra. loco citato, quando demonstratio non procedit per veram causam in essendo sed per rationem quandam priorè ratione passionis, quæ propter illam inest subiecto, non requiri ut medium sit vera definitio, sed sat esse, ut sit cõceptio aliqua quidditatiua subiecti. Quod sumitur ex eodem D. Thoma lib. 5. Met. lect. 3. ubi concedit ens, & alia ad metaphysicam pertinentia, etiam non habeant veras definitiones, habere tamen simplicem cõceptionem intellectus, quæ ratio dici potest, ex qua possunt demonstrari passionis de ente. Hoc posito, licet Deus careat vera definitione, potest tamen apprehendi sub ratione aliqua simplici, quæ nostro intelligendi modo, sit prior alia, & medium ad illam demonstrandam. Et hoc modo, ut ait citatus Ferra. non negauit D. Thom. fieri posse demonstrationes de

Ferrariens.

nes de

nes de Deo, sed solum eas, quibus continetur vera causa passionis. Ego vero addo, D. Thom. locutum iuxta assensum primæ assertionis, ut ibidem notauit.

XI.

Ad argumentum, quo Ocham. probat predicata attributalia non posse demonstrari, patet ex dictis solutio. Nam inter ipsa quædam sunt immediata, quædam mediata, ut iam dixi: neque opus est recurrere ad definitionem passionum: si quis autem velit recurrere: respondeat ad obiecti-
onem per definitionem, quatenus est cognitio distincta subiecti, vel passionis, demonstrari posse passionem, confusè cognitam de subiecto, sumpto etiam sub cognitione confusa. Neque verò argumentum à definitione continet fallaciam petitionis principij, cum dicat Philosophus lib. II. Met. c. 6. & doctores communiter definitionem esse medium potissimè demonstrationis; cum verò solum est petitio principij, quando definitio ac definitum sunt æquæ nota respondentis, qui perinde negans propositionem enuntiantem aliquid de subiecto, eo ipso negat eam, quæ ipsum predicatum enuntiat de definitione; & proinde qui deinde assumit definitionem per medium, petit principij: at in materia, de qua loquimur, fieri potest, ut clarius sit predicatum coniungi subiecto definitione cognito, quam confusè.

XII.

Tolcan.

Linconiens.

Aristot.

Ut respondeat argumento sumpto à ratione causæ Toletan. q. 2. prologij, ar. 1. duplicem agnoscit demonstrationem à priori, alteram, quæ procedit per causam in inferendo pariter, & in essendo; alteram quæ procedit per causam in inferendo, non in essendo: priorem indicauit Lincon. lib. 1. poster. cum scientiam ita definiuit: *Est apprehensio sensibilis immutabilis, dependentis à priori per apprehensionem causæ eius in essendo & in inferendo*: posteriorem, Arist. 4. Met. text. 1. ubi ait, Metaphysicè considerare entis, in quantum ens, causas, & principia: certum autem inquit est, ens, in quantum tale, non habere causas & principia in essendo; hoc enim modo etiam Deus haberet, quod est hæreticum. Hoc posito ait hunc secundum modum esse à priori, nec semper requiri ad demonstrationem causam in essendo: ex quo facile solui possunt obiecta dicendo; tamen si diuinæ proprietates non demonstrantur per causas in essendo, posse demonstrari per causam in cognoscendo. Quæ doctrina non nihil obscuritatis habet: nam per causam in cognoscendo, vel intelligitur, quod conditio medij assumpti sit causa cognitionis, siue assensus præstiti conclusioni demonstratæ; vel quod obiectum ipsum significatum per medium terminum cõmu-

nicet passioni demonstrandæ cognoscibilitatem obiectiuam, sub qua moueat intellectum ad assensum conclusionis, primum conuenit etià medio demonstrationis, quia: nam in omni demonstratione, imò discursu etiam opinatiuo, cognitio medij est causa assensus cadentis supra conclusionem: quare non est satis ad rationem demonstrationis à priori. Secundum non conuenit ijs, quæ non habent rationem causalitatis: nam cum cognoscibilitas sit passio entis, ab eodem habet res entitatem & cognoscibilitatem, ideoque repugnat vnum esse hoc modo causam alterius in cognoscendo, non autem in essendo. Porrius ergò dicerem, non requiri ad demonstrationem propter quid, ut medium sit re ipsa causa in essendo, sed sat esse, ut sit ratio virtute prior in conueniendo eidem subiecto, de quo demonstranda est passio virtute posterior.

XIII.

Ex dictis patet solutio ad primum argumentum: quo solum concluditur perfectiones diuinæ carere causa in essendo; quod non tollit, quo minus sint rationes formales virtute distinctæ, & eodem modo priores ac posteriores. Secundum argumentum probat non dari in diuinis ordinem prioris secundum rem: hic verò non requiritur ad demonstrationem, sed sat est, ut sit ordo virtute inter rationes formales, quæ admodum ipsæ non actu, sed virtute distinguuntur. Eodem modo soluitur tertium dicendo dupliciter aliquid dici notius, natura, nempe actu, & virtute: actu notiora sunt, quæ actu distinguuntur, & vnum intelligi potest propria notitia distincta, non cognito altero, sicut intelligitur causa efficiens, quin eodem actu percipiat effectus: virtute notiora sunt ea, quæ distinguuntur virtute: & quamuis cognitione adaquata terminata ad ipsa, ut sunt in re, nequeat alterum cognosci sine altero, tamen sumpta præcisè sub conceptu & ratione formali, qua distinguuntur, vnum potest cognosci sine alio, & esse ratio cognoscendi illud. Porrius uterque modus sat est ad rationem principij demonstratiui, ut verè possit in actu demonstrandi esse notius altero: argumentum verò solum ostendit in diuinis non esse principia notiora priore modo, qui non est omninò necessarius, sed sat est posterior, qui competit perfectionibus diuinis. Posteriora duo argumenta non egent solutione, quoniam verum concludunt, ut constat ex dictis: Tertium tamen ex parte repugnat traditæ doctrinæ. Sed facile solui potest dicendo, etiam in ipsa contingentia reperiri aliquam necessitatem suppositionis, non solum effectus in se

fed

sed causæ: & ex hac parte posse de illis interdum fieri discursus, habentes aliquam rationem materialis demonstrationis, sed de his factis.

Theologia est sapientia.

CAPVT IX.

I.
Durand.

DVrand. q. 1. prologi, n. 54. & 55. sicut negat Theologiam esse scientiam, ita quoque inficiatur esse sapientiam: fundamentum est, quoniam Theologia caret euidencia, quæ est potissima ratio scientiæ, sapientiæ, & cæterarum virtutum intellectualium, quas recenset Aristot. lib. 6. Ethic. c. 3. & quidem si sapientiam accipiamus, ut accipit Aristot. recte philosophatur Durand. Philosophus enim non agnoscit sapientiam, vel scientiam, aut vili virtutem intellectualem ineuidetem. Verum quemadmodum ineuidencia non extrahit fidem à numero virtutum intellectualium, ita neque debet extrahere Theologiam; & quemadmodum superius concessi in illa non nullam rationem scientiæ ob firmitudinem assensus, ita si cætera adsint, censeo admittendam rationem sapientiæ, atq; ita omnia ineuidencia de cæteris sapientiæ proprietatibus agendum est. Porro ut docet Aristot. lib. 1. Met. cap. 2. Sapientiæ proprium est considerare supremas causas, & secundum illas de rebus alijs ac scientijs iudicare: ita ut ipsa sit suprema regula omnium, nulli alteri scientiæ creatæ, tãquam regula subiecta, illud quoq; proprium eius est, ut includat intellectum ac scientiam, hoc est habitum principiorum, ut docet Philosophus lib. 6. Ethicor. c. 7.

Aristoteles.

II.

Ex his deducitur pars negatiua primò: sub vno lumine est vnus tantum habitus supremus, qui sit regula cæterorũ, & sapientiæ nomine censeatur, quemadmodum sub lumine naturali sola Metaphysica est sapientia, sed sub lumine diuino sunt alij duo habitus, qui sapientiæ nomine intelliguntur, nimirum fides ipsa, & donum Spiritus sancti, quod peculiari nomine sapientia dicitur: ergo Theologia nõ est sapientia. Secundo, sapientia est habitus excellentior, quàm scientia & intellectus, ut deducitur ex philosopho lib. 11. Met. cap. 1. Theologia verò non est præstantior fide, quæ est habitus primorũ principiorũ ipsius Theologiæ: ergo nõ est sapientia. Tertio, Theologia nõ ita regulatur fide, & ipsa non regulat scientias naturales, ergo nõ est sapientia. Consequetia est manifesta ex supposita proprietate sapientiæ: antecedens quoque priorem partem certissimum est, quoniam

Aristoteles.

omnis scientia regulatur per sua principia, fides autem est habitus principiorũ Theologiæ. Quoad posteriorem facile ostenditur, quoniam Theologia eatenus potest regulare veritates complexas, quatenus diuina reuelatio se extendit: at in sacris literis nequaquam sunt reuelata principia scientiarum naturalium: ergo Theologia, si se contineat intra limites proprii obiecti formalis, nequit dirigere scientias naturales. Quarto, scientia, ut superius ex Aristot. suppositum, est simul scientia & intellectus, hoc est habitus conclusionũ & principiorũ. Theologia verò non est habitus principiorum, quoniam illorum habitus est fides, quæ est virtus infusa, & cõsequenter Theologia solum est habitus conclusionum, & proinde non est sapientia. Deniq; sapientia auctore Philosopho, lib. 1. Met. cap. 2. est maximè libera, sui ipsius gratia acquiritur, & in pura veritatis contemplatione versatur: at Theologia non est scientia purè speculatiua, sed etiã practica: ergo nõ est sapientia.

Communis sententia est Theologiam esse sapientiã. Ita docet Alenf. 1. parte. q. 1. memb. 1. Albertus in prologo summæ, & traët. 1. q. 1. & in 1. d. 1. art. 4. ad primum. S. Thom. 1. parte. q. 1. ar. 6. q. vn. prologi, ar. 3. quæst. 3. & in secundo scripto, q. 2. ar. 1. Bonauent. q. 3. prologi. Ægid. 2. parte prologi, q. 1. Henric. ar. 6. sum. q. 2. Richard. q. 5. prologi ad 3. Hericus quodlibet. 9. q. 5. ar. 3. Scotus q. 3. prologi. §. Ex dictis patet. Mayron. in 3. d. 33. q. 1. ar. 10. Argent. q. 2. prologi, ar. 4. Carthusian. q. 1. ad 1. & lib. 1. fidei orthodoxæ, ar. 2. n. 1. Syluest. 1. parte conflat. q. 1. ar. 15. Caiet. 1. parte. q. 1. ar. 6. Ferrariens. lib. 2. contra gentes, cap. 4. Canus lib. 12. de locis, cap. 2. & Medina secunda secundæ q. 57. ar. 2. fundamentum est, quod utitur D. Thom. sapientis est dirigere, ac iudicare, ut habetur 1. Mer. c. 2. iudicium verò de rebus & causis inferioribus habetur per causas superiores: atq; aded is, qui considerat altissimã causam totius vniuersi, maximè, ac simpliciter sapiens dicitur. Theologus autem contemplatur Deũ, qui est suprema rerum omnium causa: ergo est maximè sapiens, & theologia sapientia. Aliud fundamentum indicat D. Thom. eodem loco, & lib. 2. contra gentes, c. 4. nempe quia Theologia cõsiderat Deum supremam causam lumine quodam superiori diuinæ reuelationis, quod est regula & mensura luminis creati, quo nititur contemplatio sapientiæ naturalis, scilicet Metaphysica: & ita Theologus non solum speculatur primam causam, quoad ea, quæ de illa Philosophi per creaturas cognou-

runt,